

dicatur; & sacerdotis Jojadæ justitia Hebræo nomine demonstratur. In Evangelio vero quod utuntur Nazarenæ, pro filio Barachie filium Jojadæ scriptum reperimus. *Remigius*. Quærendum est autem quomodo usque ad sanguinem Zachariæ dixerit, cum plurimorum sanctorum sanguis postea fuerit effusus? Solvitur autem sic. Abel pastor ovium fuit in campo occisus; Zacharias fuit sacerdos in atrio templi interfectus. Ideo ergo Dominus hos duos commemorat, quoniam per hos omnes sancti Martyres designantur, laicalis scilicet, & sacerdotalis ordinis. *Chrysostomus* in hom. 75. Abel etiam commemoravit, ostendens quoniam ex invidia essent Christum, & discipulos ejus occisuri. Zachariæ autem mentionem fecit, quoniam duplex præsumptio fuit in ejus occisione: non enim solum in sanctum hominem facta est, sed & in loco sancto. *Origenes* (tract. 26.) Zacharias etiam interpretatur memoria Dei. Omnis ergo qui memoriam Dei disperdere festinat, in eis quos scandalizat. Zachariæ sanguinem videtur effundere filii Barachiz. Per benedictionem enim Dei, memores sumus Dei. Ab impiis etiam memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à lascivis corrumpitur, & altare ejus per negligentiam (1) orationum fordidatur. Abel autem luctus interpretatur. Qui ergo non recipit quod scriptum est supra 5. *Beati qui lugent*, sanguinem effundit Abel, hoc est veritatem luctus salutaris. Effundunt etiam aliqui veritatem Scripturarum quasi sanguinem earum: quia omnis Scriptura, nisi secundum veritatem intelligatur, mortua est. *Chrysostomus* in hom. 75. Et ut omnem excusationem illis adimeret, ne dicerent: Quoniam ad Gentes eos missi, propter hoc scandalizati sumus; prædixerat quod ad eos essent mittendi discipuli: & ideo de ultione eorum subditur: *Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam*. *Glossa* (a) (ordinaria.) Non hos tantum præsentem dicit, sed omnem generationem præcedentem, & futuram: quia omnes una civitas sunt, & unum corpus diaboli. *Hieronymus* (ut supra.) Regula autem Scripturarum est duas generationes, bonorum, & malorum, nosse. De generatione bonorum dicitur Psalm. 111. „Generatio justorum benedicetur:“ de malis vero in præfenti loco, *Generatio viperarum*. Ergo & isti, quia similia sicut Cain, & Joas, contra Apostolos gesserunt, de una generatione esse referuntur. *Chrysostomus* in hom. 75. Vel aliter. Quia gehennæ pœnam, quam eis comminatus fuerat, tardabat, comminatur etiam eis præsentia mala, cum dicit: *Venient hæc omnia super generationem istam*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Sicut enim omnia bona, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi omnes sancti mererantur, illis novissimis sunt donata qui receperunt Christum; sic omnia mala quæ in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, super novissimos Judæos venerunt, quia Christum repulerant. Aut ita. Sicut omnia justitia præcedentium sanctorum, immo omnium sanctorum, tantum mereri non potuit quantum gratiæ datum est hominibus in Christo; sic omnium peccata impiorum tantum malum mereri non poterunt quantum venit super Judæos, ut (2) corpore talia paterentur, qualia passi sunt à Romanis; & sic postmodum omnes generationes eorum usque in finem sæculi projicerentur à Deo, & ludibrium ferent. Gentibus universis. Quid enim pejus potest fieri quam Filium cum misericordia, & humilitate venientem non suscipere, sed talia modo interficere? Vel ita. Omnis gens, vel civitas non statim cum peccaverit, punit eam Deus, sed expectat per multas generationes; quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ omnes mererantur, hæc sola passa est: sic & generatio Judæorum pro patribus suis videtur punita. Vere autem non pro illis, sed pro se condemnati sunt. *Chrysostomus* in hom. 75. Qui enim multos jam peccantes vidit, & incorrectus permanfit, eadem rursus, vel graviora faciens, majori est pœnæ obnoxius.

(m) *Chrysostomus* in hom. 75. Post prædicta, ad civitatem convertit Dominus sermonem, ex hoc erudire volens auditores; unde dicit: *Hierusalem, Hierusalem*. Hæc autem duplicatio miserentis est, & valde diligentis. *Hieronymus* (super *Hierusalem, Hierusalem*.) Hierusalem autem non saxa, & ædificia civitatis, sed habitatores vocat; quam patris plangit affectu. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Prævidens ruinam civitatis illius, & plagam quæ à Romanis superventura erat, recordabatur quidem sanguinis sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, & postmodum effundendus: unde addit: *Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. (3) Missus ad te Ezechiel occidisti, & servum meum Hieremiam lapidasti.

(1) *Al.* orationum fordidarum. (2) *Al.* corporalia. *Nicolai* talia tantum habet. (3) *Al.* Missus ad Ezechiel.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex nulla Glossa refert; sed insinuat Hieronymus.

Ezechielem tractum per lapides excerebravit: quomodo salvaberis, quæ ad te medicum non venire permittis? Et non dixit, occidisti, aut lapidasti; sed *occidis, & lapidas*; idest, quasi hæc propria, & naturalem consuetudinem habes ut occidas, & lapides sanctos. Eadem (1) enim fecit Apostolis quæ fecerat aliquando Prophetis. *Chrysostomus* (in hom. 75.) Deinde, cum vocasset eam, & abominabiles ejus occisiones dixisset, quasi se excusando dixit: *Quoties volui congregare filios tuos?* quasi dicat: Neque prædictis occisionibus me à tua benevolentia averisti; sed volui te mihi adjungere, non semel, aut bis, sed multoties. Magnitudinem autem amoris sub similitudine gallinæ offendit. *Augustinus* de Quasi. Evang. (Lib. 1. cap. 36.) Hoc enim genus animantium magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta infirmetur & ipsa; & quod difficile in cæteris animantium invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnat, sic & mater nostra Dei sapientia, per carnis susceptionem infirmata quodammodo: secundum illud Apostoli 1. Corinth. 11. „Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus:“ protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. *Origenes* (tract. 26.) Filios autem Hierusalem dicit, secundum quod dicimus semper civium successores præcedentium filios. Dicit autem: *Quoties volui*, cum sit manifestum semel cum docuisse in corpore Judæos: semper enim Christus præfens fuit, & in Moysæ, & in Prophetis, & in Angelis, ministrantibus salutis humane per singulas generationes. Si quis autem non fuerit congregatus ab eo, judicabitur quasi noluerit congregari. *Rabanus*. Cessant igitur hæretici Christo principium ex virgine dare: omittant alium legis, & Prophetarum Deum prædicare. *Augustinus* in Enchiridion (cap. 99.) Ubi est autem illa omnipotentia qua in Cælo & in terra omnia quæcum-

que voluit fecit; si colligere filios Hierusalem voluit, & non fecit? An non potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit; sed ea quoque nolente, filios ejus collegit ipse quos voluit? *Chrysostomus* (in hom. 75.) Deinde comminatur pœnam, quam semper formidaverunt, scilicet civitatis, & templi everisionem, dicens: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Sicut enim corpus, anima recedente, prius quidem frugescit, deinde putrefcit, & solvitur; sic & tempus nostrum, Dei spiritu recedente, prius seditionibus, & indiscipline replebitur, deinde veniet ad ruinam. *Origenes* (tract. 26.) Semper etiam eis qui noluerunt congregari sub alis ejus, comminatur Christus; *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, idest anima, & corpus. Sed & si quis ex vobis noluerit congregari sub alis Christi, ex tempore illo ex quo congregationem refugit actu magis quam corpore, non videbit pulchritudinem Verbi, donec penitens à proposito malo dicat: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Tunc enim Verbum Dei benedictum venit super eos hominibus quando fuerit quis conversus ad eum: unde sequitur: *Dico enim vobis: non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. *Hieronymus* (in fin. Comment. in cap. 23. Matth.) Quasi dicat: Nisi penitentiam egeritis, & confessi fueritis ipsum me, de quo Prophetæ cecinerunt, Filium omnipotentis Patris, faciem meam non videbitis. Habent ergo Judæi datum sibi tempus penitentiz. Consecratur benedictum qui venit in nomine Domini; & Christi ora conspicit. *Chrysostomus* (in hom. 75.) Vel aliter. Per hoc occulte secundum adventum significavit: quoniam tunc omnino eum adorabunt. Quod autem dicit, *Amodo*, ad tempus Crucis refertur.

(1) *Al.* deest enim.

CAPUT XXIV.

(a) **ET** egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis supra lapidem, qui non destruetur.

(b) Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt; & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducant.

(c) Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum: videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum statim est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

in regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terremotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

(d) Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos; & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio.

(e) Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non revertantur tollere tunicam suam. Væ autem pregnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi brevitati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviantur dies illi.

(f) Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetae, & dabunt signa magna, & prodigia; ita ut in errore inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere: sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usque in occidentem; ita erit & adventus Filii hominis. Ubi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

(g) Statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cælo: & virtutes commovebuntur; & tunc apparebit signum Filii hominis in Cælo; & tunc plangent omnes tribus terra.

(h) Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa, & majestate.

(i) Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.

(k) Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est ætas; ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

(l) De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi Pater solus. Sicut autem in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptii tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur. Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.

(m) Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique; & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est.

(n) Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, & cœperit peccare contra servos suos; manducet autem, & bibat cum ebriosis: veniet dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.

(a) **O**rigenes (tract. 27.) Postquam omnia quæ super Hierusalem venientia erant, Christus prædixit, exiit de templo qui consueverat templum ne caderet donec fuit in eo: unde dicitur: *Et egressus Jesus de templo, ibat.* Sed & uniusquisque cum sit templum Dei propter spiritum Dei inhabitantem in se, ipse sit causa suæ deiectionis ut egrediar ab eo Christus. Sequitur: *Et accesserunt ad eum discipuli ejus, ut*

ostenderent ei edificationes templi. Dignum est videre quomodo ostendunt ei structuras templi, quasi nunquam viderit templum. Ad quod respondendum est, quod cum Christus prophetizasset superius ruinam templi futuram, accedentes discipuli mirati sunt, talem ac tantam templi structuram ad nihilum redigendam, propterea ostendunt ei, ut flecterent eum ad misericordiam loci illius, ne faceret quod fuerat com-

minatus. Sed & cum sit humanæ naturæ admirabilis constructio, facta videlicet templum Dei, discipuli, ceterique sancti etiam modo miranda opera Dei erga signum humanum consistentes, ante conspectum Christi intercedunt, ne deserat genus humanum propter peccata ipsorum.

Sequitur: *Ipse autem respondens dixit eis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruetur.* Rabbanus. Juxta historiam manifestus est sensus, quia quadragesimo secundo anno post Passionem Domini, sub Vespasiano, & Tito Romanis Principibus, civitas eversa est cum templo. Remigius. Divinitus autem procuratum est ut revelata jam luce gratiæ, templum cum suis caeremoniis tolleretur, non forte aliquis parvulus in fide, dum videret omnia illa quæ à Domino fuerant instituta, & à Prophetis sanctificata adhuc permanere, paulatim recedendo à sinceritate fidei, ad carnalem judaismum transiret. Chrysostomus (in hom. 76.) Sed qualiter verum est quod non manit lapis super lapidem. Vel enim desolationem ejus ostendens omnimodam, hoc dixit; vel secundum illum locum ubi erat: sunt enim ejus partes usque ad fundamenta destructæ. Cum his & illud dicam, quoniam ex his (1) quæ facta sunt, & de reliquis oportet credere quod peribunt perfecte. Hieronymus (in princ. Comm. in cap. 24. Math.) Mystice autem, recedente Domino de templo, omnia legis ædificia, & compositio mandatorum ita destructa est ut nihil à Judæis possit impleri, & capite sublato universa inter se membra compungunt. Origenes (tract. 27.) Omnis etiam homo, qui suscipiens in se verbum Dei, templum est; si post peccatum adhuc servat ex parte vestigia fidei, & religionis, templum est ex parte destructum, & ex parte consistens. Qui autem postquam peccaverit curam sui non habet, paulatim minuitur, donec ad plepum recedat à Deo vivente: & sic non relinquetur lapis super lapidem, mandatorum Dei, qui non destruetur.

(b) Remigius. Perseverans Dominus in itinere, pervenit ad montem Oliveti, & quibusdam discipulis in via ostendentibus, & laudantibus ædificationem templi, ipse palam prædixit omnia esse destruenda: ideo cum pervenissent ad montem Oliveti, accesserunt ad eum interrogantes; unde dicitur: *Sedente autem eo super montem Oliveti.* Chrysostomus (hom. 76.) Propter hoc autem secreto accesserunt, quia de magnis erant interrogaturi: etenim cupiebant discere diem adventus ejus, quia vehementer

desiderabant gloriam ejus videre. Hieronymus (super *Sedente autem eo super montem*) Et interrogant tria. Primum quo tempore Hierusalem destruenda sit, dicentes: *Dic nobis, quando hæc erunt?* Secundo quo tempore Christus venturus sit; unde dicunt: *Et quod signum adventus tuus?* Tertio quo tempore consummatio sæculi futura; unde dicunt: *Et consummationis sæculi?* Chrysostomus (hom. 76.) Lucas autem ait unam esse interrogationem, quæ est de Hierosolyma, quasi æstimantibus discipulis tunc futurum esse Christi adventum, & finem mundi quando Hierosolyma destrueretur. Marcus autem non omnes eos de consummatione Hierosolymæ, (2) interrogasse; sed Petrum, Jacobum, Joannem, & Andræam, quasi liberius; & securus Christus loquens. Origenes (tract. 27.) Puto autem montem Oliveti mysterium esse Ecclesiæ quæ ex gentibus est. Remigius. Mons enim Oliveti non habet infructuosas arbores, sed oliveta, quibus lumen nutritur ad fugandas tenebras, & quibus selsis requies, infirmis salus præstatur. Sedens autem Dominus supra montem Oliveti contra templum, de ruina ipsius, & excidio judaica gentis disputat, ut etiam ipso situ corporis monstrat quia quies mansens in Ecclesia; impiorum superbiam condemnat. Origenes (tract. 27.) Agricola enim residens in monte Oliveti, verbum Dei est in Ecclesia confirmatum, Christus scilicet, qui semper oleatri ramos inserit in bonam olivam patrum. Qui habent fiduciam ante Christum, discedere volunt signum adventus Christi, & consummationis sæculi. Est autem duplex adventus Verbi in animam. Primus quidem stulta prædicatio de Christo, quando prædicamus Christum natum; & crucifixum; secundus autem adventus est in viris perfectis, de quibus dicitur 1. Corinth. 3. Sipientiam loquimur inter perfectos; & hæc secundo adventus adjungitur consummatio sæculi in viro perfecto, cui mundus crucifixus est. Hilarius (can. 25.) Et quia tria à discipulis quaerita sunt, distinctis (3) & temporis, & intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur ergo primo de civitatis occasu, (4) & deinde confirmatur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus possit obrepere: unde sequitur: *Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo; dicentes: Ego sum Christus.* Chrysostomus (hom. 76. super Matt.) Neque enim Hierosolymæ destructione, neque de secundo adventu respondit statim; sed de malis quibus statim obviandum erat. Hieronymus (hoc loco) Unus autem eorum de quibus lo-

(1) Al. del. quæ. (2) Al. omittitur interrogasse. (3) Al. & temporibus. (4) Al. & ante, item, & quando.

quitur fuit (1) Simon Samaritanus, quem in actibus Apostolorum legimus, qui se magnam dicebat esse virtutem, hæc quoque inter cætera in suis voluminibus scripta dimittens: Ego sum fermo Dei, ego omnipotens, ego omnia Dei. Sed & Joannes Apostolus in Epistola sua 1. cap. 2. loquitur: „ Audistis quia Antichristus venturus est; nunc autem Antichristi multi sunt.“ Ego reor omnes hæresiarchas antichristos esse, & sub nomine Christi ea docere quæ contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cum Dominus dixerit: *Et multos seducet.* Origenes (tract. 27.) Multi autem sunt qui seducuntur: quia larga est porta quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem antichristorum, qui dicunt: *Ego sum Christus*, quod nunquam legitur Christus dixisse. Sufficiebant enim ad credendum quod ipse est Christus, opera Dei, & sermo quem docebat, & virtus ipsius. Omnis etiam sermo qui profertur expositionem Scripturarum secundum fidem earum, & non habet veritatem, Antichristus est, (2) veritas enim Christus est, & simulata veritas Antichristus. Sed & omnes virtutes invenimus esse Christum, omnes simulatas virtutes antichristum: quoniam omnes species boni qualcumque habet Christus in se in veritate ad ædificationem hominum, omnes eas habet diabolus in specie ad seductiones Sanctorum. Opus ergo est nobis Deo auxiliatore, ne quis nos seducat, vel sermo, vel virtus, Malum enim est invenire aliquem secundum mores vitæ errantem; multo autem pejus arbitror esse non secundum verissimam regulam Scripturarum sentire.

(c) *Augustinus* ad Helychium (epist. 80. circa medium.) Interrogantibus discipulis ea Dominus respondit quæ jam ex illo tempore fuerant secutura, sive de excidio Hierusalem, unde orta est ipsius interrogationis occasio; sive de adventu suo per Ecclesiam, in qua usque ad finem venire non cessat: in suis enim veniens agnoscitur, dum ejus quotidie membra nascuntur: sive de ipso fine, in quo apparebit vivos judicaturus, & mortuos. Cum itaque signa dicat quæ ad ista tria pertinent, quod eorum trium signorum ad aliquid horum referendum sit, diligenter considerandum est, ne forte quod perti-

(1) *Al.* Simon magus, quem, &c. (2) *Quod sequitur usque ad Sed & omnes deest in editionibus Romana an. 1570. & Veneta Nicolini an. 1593. quod ex quatuor sepæ citatis exemplis restituumus.*

(3) *Al.* ut quoniam, & ipse. (4) *Al.* enim.

Ex edit. P. Nicol. (a) Hæc in Rabbani novis editionibus non habentur; nec alia quæ subjunguntur inferius: quia propter militum vastationem omnia invasionem exciderunt dum in excidendis incuberet, ut notatur ibidem, & in præfatione præmittitur. In Glossa tamen fere iidem verbis extant, sed nullius nomine designantur.

net ad unum, referendum putemus ad alterum: *Chrysostramus*: (hom. 76.) Hic autem loquitur de præliis, quæ Hierosolymis erant futura, cum dicit: *Audiri enim estis prælia, & opiniones prælorum.* Origenes (tract. 28.) Qui audit ipsas voces quæ sunt in præliis, audit prælia; qui autem de præliis longe gestis audit, opiniones, vel rumores audit prælorum. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Quia vero per hoc turbati etiam discipuli poterant, ideo subdit: *Videte ne turbemini.* Deinde quia æstimabant post illud bellum, quo Hierusalem destrueretur, statim finem mandati esse venturum, eos in vera opinione stabili, dicens: *Oportet enim hæc fieri, sed nondum statim est finis.* Hieronymus (super *Sed nondum est finis.*) Id est, non putemus diem instare iudicii, sed in tempus aliud reservari; cuius signum perspicue in consequentibus ponitur.

Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum. *Rabbanus*. (a) Vel admenatur Apostoli ne his adventibus terreantur, ut Hierosolymam, Judæamque deserant: quia non statim finis, sed in quadragesimum annum desolatio provincie, ultimamque urbis, & templi sequetur excidium: de quibus subditur: *Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.* Constat autem hic acerbissimos dolores, quibus omnis vastata est provincia, ad litteram contigit. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Deinde ut ostendat (3) quoniam & ipse præliabitur contra Judæos, non solum bella prænuntiat, sed & plagas divinitus illatas: unde subdit: *Et erunt pestilentie, & fames, & terramotus per loca.* *Rabbanus*. Notandum, quod in hoc quod dicit: *Consurget gens in gentem*, ostenditur perturbatio hominum; *erunt pestilentie*, ecce inæqualitas corporum; *erit fames*, ecce sterilitas terræ; *terramotus per loca*, ecce respectus iræ desuper. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Et non simpliciter hæc dicit secundum consuetudinem antea in hominibus existentem, sed ex ira quæ erit desuper: & propter hoc non simpliciter dicit ea esse ventura, neque repente, sed cum quadam significatione subdit: *Hæc autem omnia sunt initia dolorum*, id est judaicorum malorum. Origenes (tract. 28.) Vel aliter. Sicut ægrotant corpora ante mortem, sic necesse est ante corruptionem mundi ut quasi languens terra frequentius terræmotibus con-

conspiciens pestilens fiat; & vitalis virtus terra deficiens, succoret fructus. Consequens autem est ut propter inopiam ciborum, in avaritiam, & bella homines excitentur: sed quia insurrectiones, & lites interdum fiunt propter avaritiam, interdum autem propter concupiscentiam principatus, & gloriam vanam; adhuc profundior dabit aliquis causam eorum quæ ante finem mundi sunt ventura. Sicut enim adventus Christi in pluribus gentibus divina virtute fecit pacem, sic consequens est ut propter abundantiam iniquitatis refrigeret caritas multorum; & ideo derelinquerit illos Deus; & Christus ejus; iterum fieri prælia, dum non prohibentur à sanctitate operationes seminatrice bellorum: sed & adversariæ virtutes dum non vetantur à Sanctis, & à Christo, absque prohibitione operabuntur in cordibus hominum, ut excitent gentem adversus gentem, & regnum adversus regnum. Si autem, sicut quibusdam placet, & fames & pestilentia ab angelis fatætae sunt; (1) hæc etiam tunc invalescent ab adversis virtutibus, quando non fuerint sales terræ, & lux mundi, Christi discipuli, destruentes quæ ex demonum malitia seminantur. Et aliquando quidem in Israel fames, & pestilentia sebant propter peccata, quas orationes Sanctorum solvebant. Bene autem per loca: non enim insimul vult Deus perdere humanum genus; sed judicans per partes, dat poenitentia locum. Si autem incipientibus hujusmodi malis, non fuerit facta correctio, proficient ad pejus: unde sequitur: *Hæc autem omnia initia sunt dolorum*, generalium scilicet in universo mundo, & eorum qui secuturi sunt adversus impios, ut in doloribus acutissimis crucientur. Hieronymus (super *Consurget gens contra gentem*.) Mystice autem videtur regnum contra regnum consurgere, & pestilentia eorum quorum sermo serpit ut cancer, & fames audiendi verbum Dei, & commotio universæ terræ, & à verâ fide separatio, in hæreticis magis intelligi qui contra se invicem dimicantes; Ecclesie victoriam faciunt. Origenes (tract. 28.) Oportet autem hæc fieri antequam videamus perfectionem sapientie quæ est in Christo; sed non statim erit finis quem querimus: pacificus enim finis longe est ab hominibus istis. Hieronymus (super *Hæc omnia initia sunt dolorum*.) Quod autem dicit: *Hæc omnia initia sunt dolorum*, melius transfertur *parturitionum*, ut quasi conceptus quidam adventus Antichristi, non partus intelligatur.

(d) *Rabbanus*. Quo merito Hierosolymis, ac Provincia Judæorum universæ tot irroganda fuerint adversa, Dominus manifestat subdens:

S. Thom. Oper. Tom. VIII. (3) *an. 1570. Nicolini an. 1593. quod ex quatuor sepæ citatis exemplis restituumus.*

(1) *Al.* hi. (2) *Al.* alibi.

Tunc tradent vos, &c. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Vel aliter. Quia discipuli audientes ea quæ de Hierosolyma dicebantur, sic dispositi erant, ut extraurbationem essent, quasi de alia pœna audientes, sibi vero prospera futurum sperabant, quæ advenire valde desiderabant; propter hoc eis gravia prænuntiat, in solitudine eos statuens. Et prius quidem iustificat eos vigilare contra deceptionem seductorum; nunc autem tyrannorum violentiam eis prædicat, dicens: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Opportune enim eorum mala interposuit, mitigationem habentia à communibus malis: nec solum ita eos consolatus est, sed ostendendo tribulationis causam, adjungens quod propter nomen ejus hæc essent passuri: unde sequitur: *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Origenes (tract. 28.) Sed quomodo etiam in ultimis paribus terræ commemorantibus gentibus odio habetur populus Christi? Nisi forte & hic aliquis dicat propter exaggerationem positum omnibus pro multis. Sed & hoc quod dicit: *Tunc tradent vos*, habet questionem; nam & priusquam hæc fierent, traditi sunt Christiani in tribulationes. Sed aliquis respondebit, quoniam tunc maxime tradentur Christiani in tribulationes quemadmodum unquam. Amant enim qui in calamitatibus sunt, causas earum discutientes invenire aliquid quod loquantur. Consequens ergo est ut quasi derelinquentibus hominibus deorum culturam propter multitudinem Christianorum, dicant fieri bella, fames, & pestilentia; sed & terræmotus causam dicant Christianos, propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesie. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Postquam autem jam duplex prælium posuit, scilicet quod est à seductoibus, & quod est ab inimicis, consequenter tertium prælium ponit, quod est à falsis fratribus: unde subdit: *Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.* Vide autem & Paulum hæc plorantem, & dicentem 2. Corinth. 7. „ Foris pugna, intus timores: “ & alibi (2. Corinth. 11.) „ Pericula in falsis fratribus: “ de quibus (2) ibi dicit: „ Tales sunt pseudoapostoli operarii, subdoli. “ Unde & hic subdit: *Et multi pseudo prophetæ surgent, & seducunt multos.* *Remigius*. Imminente enim captivitate Hierusalem, multi insurrexerunt, Christianos se esse dicentes, & multos seduxerunt: quos Paulus nominat falsos fratres; Joannes vero antichristos. *Hilarius* (can. 25.) Ut Nicolaus unus ex septem diaconibus fuit, qui multos mentita veritate pervertit. *Chrysostramus* (in hom. 76.) Deinde

de quod his difficiliter ostendit, quia tales pseudopropheta nullam mitigationem à caritate accipient: unde sequitur: *Et quoniam abundantia iniquitas, refrigeret caritas multorum. Remigius.* (1) Idem vera dilectio erga Deum, & proximum: nam quanto magis ab unoquoque iniquitas suscipitur, tanto magis in corde ipsius ardor caritatis extinguitur. *Hieronymus* (super *Refrigeret*). Considerandum autem, quod (2) non negavit omnium futuram esse caritatem, sed multorum; nam in Apostolis, & eorum similibus permansura est caritas, de qua Paulus dicit Rom. 8. „ Quis nos separavit à caritate, Christi? „ Propter quod & hic subdit: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Remigius.* Usque in finem dicit usque ad terminum vite sue: (3) qui enim usque ad terminum vite sue in confessione nominis Christi perseveraverit, & in caritate, salvus factus est. *Chrysostromus* (in hom. 76.) Deinde ne dicerent: Qualiter ergo inter tot mala vivemus? quod plus est promittit, quod non solum (4) vivent, sed etiam ubique docerent: unde subditur: *Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe. Remigius.* Quia enim noverat Dominus corda discipulorum contristanda esse de excidio Hierusalem, & perditione sue gentis, hoc solatio consolatur eos, quod multo plures credituri erant de Gentibus quam de Judæis perirent. *Chrysostromus* (in hom. 76.) Quod autem & ante captionem Hierosolymæ ubique predicatum est Evangelium, audi quod ait Paulus Rom. 10. „ In omnem terram exivit sonus eorum. „ Et vides eum à Hierusalem ad Hispaniam currentem. Si autem unus tantam portionem accepit, excogita reliqui quanta operati sunt. Unde & quibusdam scribens, de Evangelio dicit (Coloss. v.) quod „ fructificat, „ & crescit in omni creatura quæ sub celo est. „ Hoc autem est maximum signum virtutis Christi, quod in triginta annis, vel parum amplius Evangelii sermo fines orbis terrarum implevit. Quamvis autem Evangelium ubique predicatum fuerit, non tamen omnes crediderunt: propter quod subdit: *In testimonium omnibus gentibus, id est in accusationem his qui non crediderunt. Qui enim crediderunt, (5) testabuntur adversus eos qui non crediderunt, & condemnabunt eos.* Convenienter autem postquam predicatum est Evangelium per orbem terrarum, tunc Hierosolyma perit: unde sequitur: *Et tunc veniet consummatio, id est finis Hierosolymo-*

(1) *Al. omittitur* Idem. (2) *Al.* non negavit omnium minuendam esse caritatem, &c. *Apud P. Nicolajum est* non negavit omnium fidem, vel caritatem, &c. (3) *Al. deest* qui enim usque ad terminum vite sue. (4) *Al.* viderent. (5) *Al.* tamen testabuntur. (6) *Al. desideratur est.* (7) *Al.* futurum. (8) *Al.* lateret.

rum. Qui enim viderunt Christi virtutem ubique resurgentem, & in brevi tempore orbem terrarum supergressam, quam veniam habere debuerunt in ingratitudine permanentes? *Remigius.* Potest autem & totus locus iste referri ad consummationem sæculi. Tunc enim plurimi scandalizabuntur recedentes à fide, videntes multitudinem, & divitias malorum, & miracula Antichristi, & confocios persecutorum; & Antichristus mittet pseudoprophetas, qui seducant multos; & abundabit iniquitas, quoniam numerus malorum augebitur; & refrigeret caritas, quoniam numerus honorum minuetur. *Hieronymus.* Signum etiam dominici adventus est in toto orbe Evangelium predicari, ut nullus sit excusabilis. *Origenes* (tract. 28.) Quod autem dicitur: *Eratis odio omnibus hominibus propter nomen meum, sic salvare quis poterit, quia nunc quidem in unum consenserunt omnes gentes adversus Christianos.* Cum autem contigerint quæ Christus prædixit, tunc fient persecutiones jam non ex parte, sicut ante, sed generaliter ubique adversus populum Dei. *Augustinus* ad Hesychem (epist. 80. circa finem.) Sed qui putant hoc quod dicitur: *Predicabitur Evangelium regni in universo orbe, per ipsos Apostolos factum esse, non ita esse certis documentis probatum est.* Sunt enim in Africa barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum predicatum esse Evangelium ex his qui ducuntur inde captivi, addiscere in promptu est. Neque tamen ullo modo recte dici potest, istos ad promissionem Dei non pertinere. Non enim Romanos solum, sed omnes gentes Dominus seminari Abrahamæ jurando promissit. In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet quod sit, non ut omnes qui ibi fuerint credant: quomodo enim illud implebitur: *Eratis odio omnibus gentibus propter nomen meum, nisi in omnibus gentibus sint & qui oderint, & quos oderint?* Non est igitur ab Apostolis predicatio ista completa, quando adhuc sunt gentes in quibus nondum cepit impleri. Quod autem dixit Apostolus Rom. 10. „ In omnem terram exivit sonus eorum, „ quamvis locutio sit præteriti temporis, verbis tamen quod futurum erat dixit, non quod jam factum atque completum: sicut & ipse Propheta, quo usus (6) est teste, fructificare, & crescere dicit Evangelium in universo mundo, ut ita signaret usque quo crescendo esset (7) venturum. Si ergo latet quando Evangelio universo orbis implebitur, proculdubio (8)

latet quando finis erit: ante quippe non erit. *Origenes* (tract. 38.) Cum ergo omnis gens audiverit Evangelii prædicationem, tunc erit sæculi finis; & hoc est quod sequitur: *Et tunc erit consummatio.* Multæ enim non solum barbarorum, sed etiam nostrarum gentium nondum audierunt Christianitatis verbum. *Glossa.* (a) Utrumque autem dictorum tueri potest, si tamen diverso modo diffusio prædicationis Evangelii intelligatur. Si enim intelligatur quantum ad fructum prædicationis, qui est ut in singulis gentibus fundatur Ecclesia credentium in Christum, ut Augustinus (in epist. 80.) exponit, est signum quod oportet præcedere ante finem mundi; non tamen præcessit ante destructionem Hierosolymæ. Si autem intelligatur quantum ad famam prædicationis, sic ante finem Hierosolymæ fuit completum, discipulis Christi per quatuor mundi partes dispersis. Unde *Hieronymus* (super *Predicabitur*) dicit: Non puto aliquam remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret; & quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus opinionem fidei non potest ignorare. *Origenes* (tract. 28.) Moraliter autem qui visus est, secundum verbum Dei, adventum gloriosum illum in animam suam, necesse est ut secundum mensuram profectus sui insidias à contrariis operationibus patiat, quasi magnus athleta, & Christus in eo ab omnibus odietur; non tantum à gentibus secundam carnem, quantum à gentibus spiritualium nequitiarum. Sed & in quætionibus pauciter venientem plenius attingentes; plus autem scandalizabuntur, & cadent ab ea, proditores, & accitatores alterarum propter dissoniam dogmatum veritatis; quod causa fiet ut odiant se invicem. Multi etiam erunt non sane tradentes de futuris sermonem, & quomodo non oportet interpretantes Prophetas: quos pseudoprophetas dicit, seducentes multos: & ferventem dilectionem, quæ prius fuerat in simplicitate fidei, refrigerare facient. Sed qui poterit manere in apostolicæ traditionis proposito, ipse salvabitur; & sic predicatum Evangelium in animas omnium erit in testimonium omnibus gentibus, id est omnibus cogitationibus incredulis animarum.

(e) *Chrysostromus* (in hom. 77.) Quia supra occulte insinuavit Hierosolymæ finem, consequenter idem manifeste ostendit, prophetiam inducens quæ destructionem Judæorum credere facit: unde dicit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Pro-*

pheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Hieronymus (super *Cum videritis abominationem.*) Hoc autem quod dictum est, *Qui legit intelligat* ponitur ut ad intelligentiam mysticam provocetur. Legimus autem in Daniele (cap. 9.) hoc modo: *Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium, & libamina; & in templo desolationum, abominatio erit usque ad consummationem temporis, & consummatio dabitur super solitudinem.* *Augustinus* ad Hesychem (epist. 80. circ. med.) Lucas quidem, ut ostenderet tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est, quando expugnata est Hierusalem, eodem loco (cap. 21.) hæc Domini verba commemorat: „ Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquabit desolatio ejus. „ *Chrysostromus* super *Math.* (hom. 49. in opere imperf.) Unde *abominationem desolationis* videtur mihi exercitum dicere, quo scilicet desolata est civitas sancta Hierusalem. *Hieronymus* (ubi supra.) Aut potest intelligi de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo; aut de Adriani equestri statua, quæ in ipso Sancta Sanctorum loco stetit usque in præsentem diem. Abominatio enim secundum veterem Scripturam idolum nuncupatur; & idcirco additur *desolationis*, quod in desolato templo acque deserto idolum positum sit. *Chrysostromus* (in hom. 76.) Vel quia ille qui desolavit civitatem, & templum, statuum intus posuit. Ut autem discant, quoniam viventibus quibusdam eorum hæc erunt, propter hoc dixit, *Cum videritis.* Ex quo admirare Christi virtutem, & discipulorum fortitudinem, qui in talibus temporibus prædicabant in quibus omnia Judaica impugnabantur. Apostoli autem ex Judæis existentes, leges introduxerunt novas adversus Romanos tunc dominantes. Infinita millia Judæorum ceperunt Romani, & duodecim viros non superaverunt nudos, & inermes. Quia vero multoties conigerat in gravibus præliis Judæos restituros fuisse, sicut temporibus Sennacherib, & Antiochi; ne aliquis suspiceretur tale aliquid futurum, suis fugiendum esse præcepit, cum subdit: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. Remigius.* Hæc enim omnia, imminente desolatione Hierusalem, constat fuisse impleta: appropinquante namque Romano exercitu, omnes Christiani, qui in provincia erant, sicut Historia ecclesiastica refert, divino miraculo moniti, longius recesserunt; & transeuntes Jordanem, venerunt in Pellam civitatem, &

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, vel alibi occurrit; quamvis quæ subiunguntur ex Hieronymo, & cum appendice præsentis connectantur, habeat Glossa.

ibi sub tutela Agrippæ Regis, cuius mentio in actibus Apostolorum fit, aliquanto tempore manserunt; ipse autem Agrippa, cum parte Judæorum quæ sibi obtinebat, Romano subditus erat imperio. *Chrysostr. (in hom. 77.)* Deinde ostendens inevitabilia mala futura esse Judæis, & infinitam calamitatem, subdit: *Et qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua; eligibilis enim erat nudo corpore salvari, quam intrare domum, ut tollerent vestimentum, & occidi: propter quod & de eo qui est in agro subdit: Et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.* Si enim qui in civitate sunt fugiunt, multo magis qui foris sunt non oportet ad civitatem refugere. Et quidem pecunias contemnere facile est, & providere sibi in vestimentis non difficile; quæ autem à natura sunt, qualiter aliquis fugiet? Qualiter enim prægnans fiet levis ad fugam, aut lactans poterit eum quem peperit, deserere? Propter quod subdit: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: his quidem, quia pigriores sunt, & quia facile fugere non possunt, onere conceptionis gravate; his autem, quia detinentur vinculo compassionis filiorum, & non possunt simul salutare eos quos lactant.* *Origenes (tract. 29.)* Vel quoniam non erit tunc tempus miserendi neque super prægnantes, neque super lactantes, neque super infantes earum. Et quasi ad Judæos loquens, qui arbitrabantur in sabbato non oportere ambulare viam amplius quam est sabbati iter, subdit: *Orate autem ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.* *Hieronymus (super Orate ut non fiat fuga.)* Quia scilicet in altero duritia frigiditatis prohibet ad solitudines pergere, (1) & in montibus, desertisque latitare; in altero autem transgressio legis est, si fugere voluerint; aut mors imminens, si remanserint. *Chrysostr. (in hom. 77.)* Vide autem quoniam adversus Judæos est hic sermo; non enim Apostoli sabbatum erant observaturi, neque ibi mansuri, cum *Vespasianus* hoc egit, etenim plures eorum jam præmortui erant. Si autem aliquis remanserit, in aliis partibus orbis terrarum tunc conversabatur. Propter quid autem hoc orandum esse dixerit, subdit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* *Augustinus ad Helychium (epist. 80. cir. med.)* Apud *Lucam cap. 21.* sic legitur: „Erit autem presura magna super terram, & ira populi huic; & cadent in ore gladii, & captivi ducuntur in omnes gentes.“ Nam & *Iosephus*, qui Judæicam scripsit Historiam, talia mala dicere illi populo tunc accidisse ut vix credibilia vi-

(1) *Al.* et in montibus desertis latitare. (2) *Al.* brevitati. (3) *Legit P. Nicolai:* Sed juxta temporum qualitatem abbreviatos sentire debemus; id est abbreviatos non mensura & c.

deantur. Unde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse à creature initio, nec futuram: sed etsi tempore Antichristi talis, aut major forsitan erit; intelligendum est de illo populo dictum, quod eis talis amplius futura non erit. Si enim Antichristum illi primicus, & præcipue recepturi sunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurus. *Chrysostr. (in hom. 77.)* Interrogo autem Judæos, unde tam intolerabilis ira divinitus venit super eos, omnibus quæ ante factæ sunt difficilior. Nam manifestum est quoniam propter crucis manifestationem. Sed adhuc ostendit ipsos gravius poena fuisse dignos, in hoc quod dicitur: *Et nisi brevitati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro;* ac si diceret: Si amplius durasset prælium Romanorum adversus civitatem, universi perissent. *Judæi:* omnem enim carnem Judæicam dicit, & qui foris, & qui intus erant: non enim solum eos qui in Judæa erant impugnabant Romani, sed & eos qui ubique dispersi erant persequebantur. *Augustinus ad Helychium (epist. 80. cir. medium.)* Quidam autem convenienter mihi intellexisse videntur mala ipsa significata nomine dierum, sicut sunt dicti dies mali in aliis Scripturæ divine locis; neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quæ sunt in eis: ipsa enim dicta sunt (2) brevitati, ut *Deo* tolerantiam donante, minus sentiantur; ac si quæ magna essent, fierent brevia. *Chrysostr. (in hom. 77.)* Ne vero Judæi dicerent, quoniam propter prædicationem, & discipulos Christi hæc mala evenerunt ostendit quod nisi illi essent, radicitus perissent; unde subditur: *Sed propter electos breviantur dies illi.* *Augustinus ad Helychium (epist. 80. cir. medium.)* Nota enim debemus ambigere, quando eversa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos Dei qui ex circumfusione crederant, sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breviantur dies illi, ut tolerabilia mala fierent. Non autem defunt qui existimant ita breviores dies illos futuros, quod cursu solis celeriore brevientur; sicut fuit longior dies orante *Jesu Nave.* *Hieronymus (super Nisi breviant fuissent.)* Nec recordantur illius scripti *Psal. 118.* „Ordinatione tua perseverat dies.“ (3) Sed juxta temporum qualitatem, id est abbreviatos non mensura, sed numero; ne temporum mora concutiat credentium fides. *Augustinus ad Helychium (epist. 80. cir. medium.)* Non tamen putemus hebdomadas *Danielis*, vel propter dierum brevitationes fuisse turbatas, vel illo jam tempore non fuisse completas, sed in fine tem-

porum esse completas: aperitissime enim *Lucas* restat *Danielis* prophetiam tunc fuisse completam quando eversa est Hierusalem. *Chrysostr. (in hom. 77.)* Intellige (1) autem Spiritus Sancti dispensationem, quoniam nihil horum scripsit *Joannes*, ut non videretur ex ipsa eorum quæ facta sunt historia scribere: etenim post captionem Hierusalem vixit multo tempore. Sed qui ante mortui sunt, & nihil horum viderunt, ipsi scribunt, ut undique fugeat prænuntiatio virtus. *Hilarius (can. 25.)* Vel aliter. Totum indicium adventus futuri Dominus ponit dicens: *Cum videritis abominationem.* De Antichristi enim temporibus hæc locutus est *Propheta.* Abominatio ex eo dicta est quod adversus Deum veniens honorem Dei sibi vendicet; desolationis autem abominatio, quia bellis, & cædibus terram desolaturus sit; atque ob id à Judæis susceptus loco sanctificationis instituitur, ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, ibi ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit & quia proprius iste Judæorum error erit, ut qui veritatem respulerunt suscipiant falsitatem, Judæam deserit monet, & transfugere in montes, ne admixtione plebis illius Antichristo credituræ, vis, aut contagium afferatur. Quod autem ait, *Et qui in tecto sunt, non descendant tollere aliquid de domo sua*, sic intelligitur. Tectus est domus fastigium, & habitationis totius excelsa perfectio. Qui igitur in consummatione domus suæ, id est in cordis sui perfectione constitit, regeneratione spiritus novi celsus, non descendere in humiliora rerum secularium cupiditatem debet. *Et qui in agro erit, non revertatur tollere tunicam suam;* id est, positus in operatione præcepti, non ad curas pristinæ revertatur, ob quas veterum exinde peccaminum, quibus antea contegebatur, erit tunicam relaturus. *Augustinus ad Helychium (epist. 80. cir. medium.)* In tribulationibus enim cavendum est ne quisquam devictus ad carnalem vitam de spiritali sublimitate descendat; aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat. *Hilarius (can. 25. à medio.)* Quod autem dicitur, *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus;* non de foetarum onere Dominum admonuisse credendum est, sed animarum peccatis repletarum ostendisse gravitatem, quod neque in tecto posite, neque in agro manentes, repositæ iræ tempestatem vitare possint: illi quoque væ erit qui

Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* Intende autem. (2) *Al.* impeditæ. (3) *Al.* desit aut. (4) *Supplet ex Origene P. Nicolai:* quoniam in tranquillitate animæ constitutæ possunt impetrare viam salutis; hieme autem comprehendente incurant in eos quos fugimus: ideo orant ut non fiat eorum fuga hieme, vel sabbato. Quidam autem ab operibus malis sabbatizant, sed non faciunt opera bona: in tali ergo sabbato, quando homo bona opera non facit &c. (5) *Al.* abbreviat.

nutrientur: infirmitatem enim animarum quæ ad cognitionem Dei tamquam lacte educantur, in his ostendit: & idcirco væ ipsis erit, quia ad fugiendum Antichristum graves, & ad sustinendum (2) imperitæ nec peccata effugerunt, nec cibum veri panis acceperunt. *Augustinus de Ver. Dom. ser. 20.* Vel prægnans est qui res alienas concupiscit; nutriens est qui jam rapuit quod concupiverat: istis enim væ erit in die iudicii.

Quod autem Dominus dixit, *Orate, ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.* *Augustinus de Quæst. Evan. (Lib. 1. cap. 37.)* Id est ne in lætitia, vel tristitia rerum temporalium quis inveniat in die illa. *Hilarius (can. 25.)* Vel ne (3) aut in peccatorum frigore, aut in otio honorum operum reperiamur, quia gravius vexatio incumbet, nisi quod causa electorum Dei diebus illis sic brevitatis afferenda; ut vim malorum coarctatum tempus extyperet. *Origenes (tract. 29.)* Myiice autem in loco Sancto omnium Scripturarum, tam veteris testamenti quam novi, Antichristus, qui est falsum verbum, stetit frequenter: qui autem hoc vidente, ex Judæa literæ fugiant ad sublimes veritatis montes. Et si quis inventus fuerit ascendisse supra tectum verbi, & stare super fastigium ejus, non descendat inde, occasione ut auferat aliquid de domo sua. Et si fuerit in agro, in quo absconditus est thesaurus, & reversus fuerit retro, incurret in seductionem verbi mendacis, & maxime si spoliaverit se vestimentum vetus, id est veterem hominem, & iterum conversus fuerit tolere ipsum. Tunc autem anima in utero habens, quæ necdum fructificavit ex verbo, incurrit in væ: proficis enim conceptum, & evacuatur à spe, quæ est in actibus veritatis; similiter autem si videatur formatum, & fructificatum verbum, non autem fuerit enutritum sufficienter. Orent autem qui fugiunt in montes, ne fuga eorum fiat hieme, vel sabbato: (4) quoniam in tranquillitate animæ constitutæ possunt impetrare viam salutis; & in sabbato, quando homo bona opera non facit, fuga vestra non fiat: nemo enim in periculo falsi dogmatis facile superatur, nisi qui nudus fuerit ab operibus bonis. Quæ est autem major tribulatio quam videre fratres nostros seduci, & quod aliquis videat seipsum moveri, & conturbari? Dies autem intelliguntur præcepta, & dogmata veritatis: omnes autem intellectus à scientia falsi nominis venientes, additamenta sunt dierum, quæ Deus (5) abbreviavit per quos vult,

Y 4

Chry-

(1) *Chrysoſtomus* (in hom. 77.) Cum conſpiceret Dominus ea quæ de Hieroſolymis ſunt, ad ſumum de cetero pervenit adventum, & dicit ejus ſigna non illis utilia ſolum, ſed & nobis, & his qui poſt nos erunt omnibus: unde dicit: *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Sicut autem cum ſupra cap. 3. dixit Evangeliſta, *In diebus illis venit Joannes Baptiſta, non tempus quod immediate eſt conſequens expoſuit, cum triginta anni in medio eſſent; ita & hic cum dicit, Tunc, totum medium tempus prætermiſit, quod futurum erat à captione Hieroſolymæ uſque ad initia conſummationis mundi.* Dans autem eis ſigna ſui ſecundi adventus, de loco eos certificat, & de ſeducitoribus: non enim ſicut in priori adventu in Bethlehem apparuit, & in parvulo angulo orbis terrarum, & nullo ſciente à principio, ita & tunc erit; ſed manifeſte venit, ita quod non indigeat quod aliquis ejus adventum annuntiet: propter quod dicit: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, non credatis.* *Hieronymus* (ſuper illud *Sicut fulgur exit.*) In quo offendit quod ſecundus adventus non in humilitate, ut primus, ſed in gloria demonſtrandus eſt. Stultum eſt itaque eum in parvo loco, vel in abſcondito quærere, qui totius mundi lumen eſt. *Hilarius* (can. 25.) Et tamen, quia in magna vexatione poſiti erunt homines, pseudopropheta, tamquam præſentem in Chriſto opem ſint indicaturi, multis in locis Chriſtum eſſe, atque haberi mentientur, ut in Antichriſti famulatum depreſſos, vexatoque deducant; & ideo ſubdit: *Surgunt enim pseudochriſti, & pseudoprophetae.* *Chryſoſtomus* (in hom. 77.) Hic de Antichriſto loquitur, & de quibusdam ejus miniſtris, quos pseudochriſtos, & pseudoprophetas appoſuit, & tempore Apoſtolorum multi fuerunt; ſed ante ſecundum adventum Chriſti, erunt multo prioribus amariore: unde ſubdit: *Et dabunt ſigna magna, & prodigia.* *Auguſtinus* in Lib. 3. *Quæſt.* (qu. 77. circa medium.) Admonet autem hic Dominus, ut intelligamus quædam miracula etiam ſceleratos homines facere, qualia ſancti facere non poſſant; nec tamen ideo prioris loci apud Deum arbitrandi ſunt. Non enim acceptiores erant Deo, quam populus Iſrael, magi Ægyptiorum, qui non poterat ille populus facere quod illi faciebant; quamvis Moyses in virtute Dei majora potuerit. Sed ideo non omnibus ſanctis iſta attribuantur, ne pernicioſiſſimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantes in talibus factis majora dona quam in operibus juſtitia, quibus vita æterna comparatur. Cum ergo talia faciunt magi qualia non-

(1) *Al.* tractus. (2) *Al.* tentationes electorum.

numquam faciunt ſancti, diverſo ſine, & diverſo jure ſiunt: iſti enim faciunt quærentes gloriam ſuam, illi quærentes gloriam Dei; & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi privata commercia, vel beneficia; iſti autem in publica adminiſtratione juſti ejus cui cuncta creatura ſubjecta eſt. Aliter enim cogitur poſſeſſor equum dare militi, aliter tradit emptori, vel euilibet donat, aut commodat; & quemadmodum plerique mali milites, quos imperialiſ disciplina commendat, ſignis Imperatoris ſui nonnullos poſſeſſores teritant, & ab eis aliquid quod publice non jubetur extorquent; ita nonnumquam mali Chriſtiani, per nomen Chriſti, vel per verba, vel ſacramenta chriſtiana exigunt aliquid à poteſtatibus; cum autem malis jubentibus voluntate cedunt, ad faciendos homines cedunt, quorum errore lætatur. Quapropter aliter faciunt miracula magi, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani: magi per privatos (1) contractus; boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitia. Nec hoc etiam oportet mirari, quia omnia quæ viſibiliter ſiunt, etiam per interiores poteſtates aeris huius non abſurde fieri poſſe creduntur. *Auguſtinus* 3. de Trin. (cap. 28.) Nec ideo tamen putandum eſt tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſervire hanc viſibilitatem rerum materiam, ſed Deo potius, à quo eis poteſtas datur; nec ſane creatores illi mali angeli dicendi ſunt; ſed poſſibilitate ſua ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas (2) temptationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita & gignuntur rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones; nam & multi homines noverunt ex quibus herbis, aut carnibus, aut fœcibus, aut humoribus ita obrutis, vel commixtis quæ animalia naſci ſoleant; ſed hæc ab hominibus tanto difficilius ſiunt, quanto deſunt ſenſuum ſubtilitates, & corporum mobilitates in membris terrenis, & prigris. *Gregorius* 15. Moral. (cap. 30. in nov. exemp. 21.) Cum ergo Antichriſtus coram carnalium oculis miranda prodigia fecerit, poſt ſe tunc homines trahet: quia qui bonis præſentibus delectantur, poteſtati illius ſe abſque retractione ſubjiciunt: unde ſequitur: *Ita ut in errore inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* *Origenes* (tract. 25.) Exaggeratorius ſermo eſt dicens, *Si poſſibile eſt* non enim pronuntiavit, neque dixit, ut in errorem mittantur electi; ſed offendere vult quoniam frequenter valde perſuaſorii ſunt ſermones hæreticorum, & commovere potentes etiam eos qui ſapienter agunt. *Gregorius* 33. Moral. (cap. 36. in nov. exemp. 27.)

Vel

Vel quia electorum cor & trepida cogitatione concutitur, & tamen eorum conſtantia non movetur; una ſententia Dominus utrumque complexus eſt: quaſi enim jam errare eſt in cogitatione titubare. Sed *ſi fieri poteſt* ſubjungitur, quia fieri non poteſt ut in errorem electi capiuntur. (1) *Rabbanus*, Vel non ideo hoc dicit, quod electio divina fruſtretur; ſed qui humano judicio electi videbantur, illi in errorem mittentur. *Gregorius* (in hom. 35. in Evan.) Minus autem jacula feriunt quæ prævidentur, & propter hoc ſubditur: *Ecce prædixi vobis.* Dominus enim noſter perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia quo fuerint præſcita: propter quod conſequenter concludit: *ſi ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.* *Hilarius* (tract. 25.) Nam pseudopropheta, de quibus ſupra dixerat, nunc in deſertis Chriſtum eſſe dicent, ut homines errore depravent; nunc in penetralibus aſſerent eum eſſe, ut homines dominantis Antichriſti poteſtate concludant. Sed Dominus ſe nec loco occultandum, nec à ſingulis ſeorſum contuendum eſſe proſitetur; ſed ubique & in conſpectu omnium præſentem ſe futurum eſſe denuntiat: unde ſequitur: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet uſque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* *Chryſoſtomus* (in hom. 77.) Sicut enim ſupra prædixit qualiter Antichriſtus venturus eſt; ita & per hoc offendit qualiter ipſe ſit venturus. Sicut enim fulgur non indiget annuntiante, aut præcone, ſed in inſtanti momento temporis monſtrat ſecundum univerſum orbem terrarum etiam hiſ qui in thalamis ſedent; ita & adventus Chriſti ſimul apparebit ubique propter gloria fulgorem. Conſequenter autem dicit & aliud ſignum ſui adventus, cum ſubdit: *Ubi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* per aquilas multitudinem Angelorum, martyrum, & ſanctorum omnium designans. *Hieronymus* (ſuper *Ubi cumque fuerit.*) De exemplo enim naturali quod quotidie cernimus, Chriſti inſtruumus ſacramento: aquilæ enim, & vultures, etiam tranſmarina dicuntur ſentire cadavera, & ad eſcam hujulcemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatiis ſeparatæ, parvum cadaver ſentiant ubi jaceat; quanto magis omnis multitudo credentium debet ad Chriſtum feſtina-

nare, cujus fulgur exit ab oriente, & patet utique ad occidentem? Poſſumus autem per (2) corpus, ideſt *poma* quod ſignificantius Latine dicitur cadaver, ab eo quod per mortem cadaver, paſſionem Chriſti intelligere. *Hilarius*. Unde ut nec loci, in quo venturus eſſet, eſſemus ignari, dicit: *Ubi cumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Sanctos de volatu ſpiritualli corporis aquilas nominavit; quorum congregantibus Angelis conventum futurum in loco paſſionis extendit; & digne illic claritatis adventus expectabitur ubi nobis gloria æternitatis paſſione corporeæ humilitatis operatus eſt. *Origenes* (tract. 30.) Et vide, quia non dixit: *Ubi cumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corvi, ſed aquilæ*: volens oſtendere magnificos, & pen-gales omnes qui in paſſione Domini crediderunt. *Hieronymus*. Aquilæ enim appellantur quibus juvenus renovata eſt ut aquilæ, & qui aſſumunt pennas, ut ad Chriſti veniant paſſionem. *Gregorius* 14. Moral. (a) Poteſt etiam intelligi: *Ubi cumque fuerit corpus*; ac ſi dicat: Quia caeleſti ſedi incarnatus præſideo, electorum animas, cum carne ſolvero, ad caeleſtia ſublevabo. *Hieronymus*. Vel aliter. (3) Quod hic dicitur, de pseudopropheta intelligi poteſt. Multi enim tempore captivitatis Judaicæ principes extiterunt qui Chriſtos ſe eſſe dicerent, intantum ut obſidentibus Romanis, tres inus fuerint factiones. Sed melius de conſummatione mundi dicitur, ut expoſitum eſt. Poteſt autem & tertio de hæreticorum contra Eccleſiam pugna intelligi, & de iſtiusmodi antichriſtis, qui ſub opinione falſe (4) ſcientiæ contra Chriſtum dimicant. *Origenes* (tract. 30.) Generaliter enim unus eſt Antichriſtus, ſpecies autem ejus multæ; tamquam ſi dicamus, Mendacium nihil diſſert à mendacio. Sicut autem veri Chriſti fuerunt ſancti Propheta, ſic intellige ſecundum unumquemque pseudochriſtum, multos ejus falſos prophetas, qui antichriſti alicujus falſos ſermones prædicant quaſi veros. (5) Quando ergo dicit aliquis, *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*, non quaſi extra Scripturam foras aſpiciendum eſt: ex lege enim, & Prophetis, & Apoſtoliſ proferunt loca videntur defendere mendacium. Vel per hoc quod dicit, *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*, oſtendunt non Chriſtum, ſed aliquem fictum ejuldem nominis, ut puta ſecundum Marcionis doctrinam, aut Valentini, & Baſilidis. *Hieronymus*

(1) *Al.* *Origenes*. (2) *Al.* corpus *poma*, item corpus, ideſt Joathan, item corpus, ideſt Jonathan. (3) *Al.* Quod hic de pseudopropheta dicitur, intelligi poteſt: forte Quod hic de pseudopropheta dictum intelligi poteſt. (4) *Al.* conſcientiæ. (5) *Al.* quorum dicit aliquis, *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*, quaſi non extra Scripturam foris &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) 31. Moral. cap. 22. vel in antiquis codd. cap. 36. ſuper illud Job 39. de aquila, *Ubi cumque fuerit cadaver, ſtatim adefi.*